M. T. CICERONIS TIMAEUS SIVE DE Vniuerſitate.

In eundem obſeruationes.

δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι.

PARISIIS

Apud Guil. Morelium ad ſcholas Coqueretias 1550.

II

siue de Vniuersitate.

MVLTA sunt à nobis & in Academicis conscripta contra Physicos, & sæpe cũ P. Nigidio Carneadeo more & modo disputata. Fuit enĩ vir ille quum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus: tũ acer inuestigator, & diligens earum rerum quę à natura inuolutæ videntur. Deniq; sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorũ doctrina extincta est quodãmodo, quũ aliquod secula in Italia Siciliáq; viguisset, hũc extitisse qui illã renouaret. Qui quũ me in Ciliciã proficiscentẽ Ephesi expectauisset, Romã ex legatione ipse decedens, venisſetque eòdem Mitylenis me salutandi & visendi causa Cratippus, Peripateticorum omniũ, quos quidem ego audiuerim, meo iudicio facile princeps, perlibenter & Nigidium vidi, & Cratippũ cognoui. Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percontatione consumpsimus.

* * * *

QVID est quod semper sit, nec vllum habeat ortum? & quod gignatur, nec vnquã sit? quorum alterum intelligentia & ratione comprehenditur, quod vnum atque idem semper est: alterũ quod affert opinioni sens⁹ rationis expers, quod totum opinabile est, gignitur, & interit. nec vn-

quam esse vere potest. Omne autem quod gignitnr, ex aliqua caussa gigni necesse est. nullius enĩ rei caussa remota, reperiri origo potest. Quocirca si is qui aliquod munus efficere molitut, eã speciem quæ semper est eadem, intuebitur, atque eã sibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat necesse est. Sin autem illam quæ gignitur, nũquã illam quam expetet pulchritudinem cõsequetur. Omne igitur cælum siue mundus, siue quo alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupatus sit: de quo id primum consideremus quod principio est in omni quæstione considerandum, sempér ne fuerit nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu. Ortus est, quãdoquidẽ cernitur, & tãgitur, & est vndique corporatus. omnia autem talia sensum mouent: sensusque mouẽtia quæ sunt, eadem in opinatione considunt, quę ortum habere gignique diximus. nihil autem gigni posse sine causis. Atque illum quidẽ quasi parẽtẽ huius vniuersitatis inuenire difficile est, & cũ iam inueneris, indicari in vulgus nefas. Rursus igitur videndũ, ille fabricator tãti operis, vtrũ sit imitatus exemplar, id ne quod semper vnum idéque & sui simile, an id quod generatum ortũq; dicimus. Atqui si pulcher est hic mũdus, & si ꝓbus eius artifex, profecto speciem æternitatis imitari maluit. Sin secus, (quod ne dictu quidẽ fas est) generatum exẽplũ est pro æterno secutus. Nõ igitur dubiũ quin ęternitatem maluerit exequi:

quandoquidem neque mundo quicquã pulchrius, neque eius ædificatore præstantius. Sic ergo generatus, ad id est effectus quod ratione sapientiaq; comprehenditur, atque æternitate immutabili cõtinetur. ex quo efficitur vt sit necesse, hunc quem cernimus mundum, simulacrũ æternum esse alicuius æterni. Difficilimum autem est in omni cõquisitione rationis exordiũ. De his igitur quæ diximus, hęc sit prima distinctio, in omni oratione cũ is rebus de quibus dicetur, explicatio cognata. Itaque cũ de re stabili & immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis illa, quæ neq; redargui, neque conuinci potest. cum autem ingressa est imitata & efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur. quantũ enim ad id quod ortum est, æternitas valet, tantum ad fidẽ veritas. Quocirca si forte de deorum natura ortúque mũdi disserentes, minus id quod auemus animo consequimur, vt tota dilucide & plane exornata oratio sibi constet, & ex omni parte secum ipsa consentiat: haud sane erit mirum, contẽtique esse debebitis si probabilia dicentur. AEquum est enim meminisse, & me qui disseram hominẽ esse, & vos qui iudicetis, vt, si probabilia dicentur, ne quid vltra requiratis. Quæramus igitur causam quæ impulerit eum qui hæc machinatus sit, vt originẽ rerum & molitionem nouam quæreret. Probitate videlicet pręstabat. probus autem inuidet nemini. Itaque omnia sui similia generauit. Hæc nimi-

rum gignendi, mundi causa iustissima. Nam cum constituisset Deus bonis omnibus explere mūdū, mali nihil admiscere, quoad natura pateret, quicquid erat quod in cernendi sensum caderet, id sipi adsumpsit, non tranquillum & quietum, sed immoderatè agitatum & fluitās: idque ex ordinato in ordinem adduxit. hoc enim iudicabat esse præstantius. Fas autem nec est, nec vnquam fuit quicquā nisi pulcherrimū facere ei qui esset optimus. Quum rationē igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum quæ natura cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere præstantius: intelligentiam autē nisi in animo nulla alia in natura posse reperiri. quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. Quā ob caussam nō est cunctandū profiteri, si modo inuestigari aliquid cōiectura potest, hunc mundū animal esse, idque intelligēs, & diuina prouidētia cōstitutum. Hoc posito, quod sequitur videndū est, cuiusnam animantium deus in fingendo mūdo similitudinē secutus sit. Nullius profecto eorū quidē quæ sunt nobis nota animātia. sunt enim omnia in quædā genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta: imperfecto autē nec absolute simile, pulchrū esse nihil potest. Cuius ergo omne animal quasi particula quædā est, siue in singulis, siue in vniuerso genere cernatur, eius similem mūdum esse dicamus. Omnes igitur qui animo cer-

nuntur & ratione intelliguntur animantes, complexu rationis & intelligentię, ſicut homines hoc mundo, & pecudes, & omnia quæ ſub áſpectum cadũt, comprehenduntur. Quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi poteſt, & quod ex omni parte abſolutiſsimum eſt, quum deus ſimilem mundum efficere vellet, animal vnum ad ſpectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Recténe igitur vnum mũdum dixerimus, an ſint plures & innumerabiles, dictu verius & melius? Vnus profecto: ſiquidem factus eſt ad exemplum. Quod enim omnes animanteis eos qui ratione intelliguntur, complectitur, id non poteſt eſſe cum altero. Rurſus enim alius animans qui eos contineat, ſit neceſſe eſt, cuius partes ſint animantes ſuperiores: cælúmque hoc ſimulacrum illius vltimi ſit, non proximi. Quorum ne quid acciderct, atque vt hic mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus, hoc ipſo quod ſolus atque vnus eſſet: idcirco ſingularem Deus hunc mundum atque vnigenam procreauit. Corporeum autem & aſpectabile, itemque tractabile omne neceſſe eſt eſſe quod natum eſt. Nihil porro igni vacuum, videri poteſt: nec vero tangi, quod careat ſolido: ſolidum autem nihil, quod terræ ſit expers. Quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primum ignémque iungebat. Omnia autem duo ad cohærendũ, tertiũ aliquid requirunt, & quaſi nodum vinculúmque deſiderant. Sed vinculorũ

id eſt aptiſsimum atque pulcherrimum, quod ex ſe atque de ijs quæ aſtringit quam maxime vnum efficit. Id optime aſſequitur, quæ Græce ἀναλογία, Latine (audendum eſt enim, quoniã hæc primũ à nobis nouantur) comparatio proportiove dici poteſt. Quãdo enim triũ vel numerorũ, vel figurarũ, vel quorũcũque generũ contingit, vt quod medium ſit, vti primũ proportione, ita id poſtremo cõparetur, viciſsimque vt extremum cũ medio, ſic medium cum primo cõferatur, id quod mediũ eſt, tum primum fit, tum poſtremũ, poſtrema vero & prima media fiũt. ita neceſsitas cogit, vt eadem ſint quæ deiũcta fuerunt. eadem autem cum facta ſint, efficitur vt omnia ſint vnum. Quod ſi vniuerſitatis corpus planum & æquabile explicaretur, neque in eo quicquam eſſet * reliquũ, vnũ interiectum mediũ & ſeipſum, & ea quibus eſſet interpoſitum, colligaret. Sed cum ſoliditas mundo quæreretur, ſolida autẽ omnia vno medio nũquam, duobus ſemper copulentur: ita contigit, vt inter ignem atque terram, aquam Deus animãque poneret, eaque inter ſe compararet ac proportione coniungeret, vt quemadmodum ignis animę, ſic anima aquæ, quodq; anima aquę, id aqua terrę proportione redderet. Qua ex cõiũctione cęlum ita aptum eſt, vt ſub aſpectum & tactũ cadat. Itaque & ob eam cauſam, & ab ijs rebus numero

quatuor, mundi eſt corpus effectum, ea conſtructum proportione qua dixi. Ex quo ipſe ſe cõcordi quadam amicitia & charitate complectitur, atque ita aptè cohæret, vt diſſolui nullo modo queat, niſi ab eodem à quo eſt colligatus. Earum autem quatuor rerum quas ſupra dixi, ſic in omni mũdo partes omnes collocatæ ſunt, vt nulla pars huiuſce generis excederet extra, atque vt in hoc vniuerſo ineſſent genera illa vniuerſa. Id ob eas cauſas, primum vt mundus animans poſsit ex perfectis partibus eſſe perfectus. deinde, vt vnus eſſet, nulla parte vnde alter gigneretur relicta: poſtremo, ne quis morbus eum poſsit, aut ſenectus attĩgere. Omnis enim coagmentatio corporis, vel caloris, vel frigoris vel aliqua alia impulſione vehementi labefactatur & frangitur, & ad morbos ſenectutémque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi & molitor Deus, vt vnũ opus totum atque perfectũ, ex omnibus totis atque perfectis abſolueret, quod omni morbo & ſenio vacaret. Formã autem & maxime ſibi cognatam & decorã dedit. à quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figurauit, qua vna omnes reliquæ formæ concludũtur. Ergo globoſus eſt fabricatus quod σφαιροειδὴς Græci vocant, cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur: idque ita tornauit, vt nihil effici poſsit rotundius, nihil vt aſperitatis haberet, nihil offenſionis, nihil incluſum angulis,

nihil anfractibus, nihil eminẽs, nihil lacunosum omnesq; partes simillimę omniũ, quòd eius prę stabat iudicio dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi lęuitate circũdedit. nec enim oculis egebat, quia nihil extra quod cer ni posset, relictũ erat: nec auribus, quia nec quod audiretur quidem :neque erant anima circunfusa extrema mundi, vt respirationem requireret. Nec vero desiderabat aut alimenta corporis, aut detra ctionem confecti & consumpti cibi. neque enim vlla decessio fieri poterat, nec accessio, nec verò erat vnde. Itaq; se ipse & consumptione & senio alebat sui, cum ipse per se & à se pateretur & face ret omnia. Sic enim ratus est ille qui ista iunxit & condidit, ipsum se contentum esse mundũ, neque egere altero. Itaque ei nec manus affixit, quia nec capiendum quicquam erat, neque repellendum: nec pedes, nec aliqua mẽbra, quib' ingressum cor poris sustineret. Motum enim dedit cælo eũ qui figuræ eius sit aptissimus, qui vnus ex septem mo tibus mentem atque intelligentiam cohiberet ma xime. Itaque vna conuersione atque eadem ipse circum se torquetur & vertitur. Sex autem reli quos motus ab eo separauit. itaque eum ab omni erratione liberauit. Ad hanc igitur conuersionẽ quę pedibus & fœminib' non egeret, ingrediendi mẽbra non dedit. Hęc Deus is qui erat de aliquã do Deo futuro cogitans, læuem eum effecit, & vn dique æquabilem, & à medio ad summum pa

rem, & perfectum atque absolutum ex absolutis atque perfectis. Animum autem vt in eius medio collocauit, ita per totum tetendit. deinde eum cir cũdedit corpore, & vestiuit extrinsecus, cæloque soliuago & volubili & in orbem incitato comple xus est: quod secum ipsum propter virtutem faci le esse posset, nec desideraret alterum, satis sibi ip sum notũ & familiare. Sic Deus ille æternus hũc perfectè beatum Deum procreauit. sed animum, haud ita vt modo locuti sumus, tum denique cũ corpus ei effecisset, inchoauit. neque enim esset re ctum, minori parere maiorem. Sed nos multa in-considerate ac temere dicimus. Deus autem & or tu & virtute antiquiorem generauit animũ, eũq; vt dominum atque imperantem obedienti præfe cit corpori, idque molitus tali quodam est modo: Ex materia quæ indiuidua est, & quæ semper vni usmodi suique similis, & ex ea quæ corporibus diuidua gignitur, tertium materiæ genus admis cuit ex duobus in medium quod esset eiusdem na turæ, & quod alterius, idque interiecit inter indi uiduum atque id quod esset diuiduum in corpo re. Ea cum tria sumpsisset, vnam in speciem tempe rauit, naturamque illam quam alterius diximus, vi cũ eadẽ cõiunxit fugientẽ & eius copulationis alienã: quæ permiscens cum materia cũ ex tribus effecisset vnũ, id ipsum in ea quę decuit mẽbra par tit⁹ est. Iam partes singulas ex eodẽ, & ex altero, & ex materia tẽperauit. Fuit autem talis illa partitio:

Vnam principio partem detraxit ex toto: secundam autem primę partis duplam: deinde tertiam quæ esset secundæ sesquialtera primæ tripla: deinde quartam, quæ secundę dupla esset: quintam inde, quæ tertiæ tripla: tum sextam octuplá primæ: postremo septimam, quæ septem & viginti partibus antecederet primæ. Deinde instituit dupla & tripla interualla explere, partes rursus ex toto desecans: quas interuallis ita locabat, vt in singulis essent bina media (vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας apellāt: sed quasi ita dixerim intelligatur, erit enim planius) earum alterā eadem parte præstantem extremis, eadémque superatam: alteram pari numero præstantem extremis, parique numero superatā. Sesquialteris autē interuallis & sesquitertiis, & sesquioctauis sumptis ex his colligationib⁹, in primis interuallis sesquioctauo interuallo sesquitertia ōia explebat, cum particulam singulorū relinqueret. Eius autem particulæ interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationéque in extremis, quam habent CCLVI cū CCXLIII. atque ita permixtum illud ex quo hæc secuit iam omne consumpserat. Hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediæque accommodans mediam quasi decussauit. deinde in orbem torsit, vt & ipsæ secum & inter se ex cōmissura quæ è regione esset, iungerentur, eóque motu cuius orbis semper

erat in eodē, eodémq; modo ciebatur, vndique est eas circūplexus. Atque ita cum alterum esset exteriorē atque interiorē amplexus orbem, illū eiusdem naturæ, hunc alterius nominauit: eáque quę erat eiusdem, detorsit à latere in dextrā partē: hanc autem alterius, à media linea direxit ad leuam. sed principatum dedit superiori, quam solam indiuiduam reliquit. Interiorem autem cū in sex partes diuisisset, septem orbeis dispares duplo & triplo interuallo moueri iussit, contrarijs inter se cursibus. Eorum autem triū fecit pares celeritates, sed quatuor & inter se dispares, & trium reliquorum. Animum igitur cum ille procreator mundi Deus ex sua mente & diuinitate genuisset, tum denique omne quod erat concretum atque corporeū substernebat animo interiúsque faciebat, atq; ita medium medio accommodans copulabat. sic animus à medio profectus, extremitatē cæli à suprema regione rotundo ambitu circuniecit, seséque ipse versans diuinius sempiternæ, sapientisque vitæ induxit exordium. Et corpus quidem cæli spectabile effectum est, animus autem oculorum effugit obtutum. Est autem animus vnus ex omnibus rationis concentionísque (ἁρμονίας Gręce) sempiternarum rerum, & sub intelligentiam cadētiū, compos & particeps, quo nihil ab optimo & pręstantissimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem iunctus alteráque natura, adiuncta materia temperatione trium partium, & propor-

tione compactus, se ipse conuersans, cum materi am mutabilẽ arripuisset, & cum rursus indiuiduã atque simplicem per quã omnis mouetur, discer nit quid sit eiusdẽ generis, quid alterius, & inde diiudicat, quid cuique rei sit maxime aptũ, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat, quæ'que distinctio sit inter ea quæ gignantur, & ea quæ sint semper eadem. Ratio autem vera quæ versatur in ijs quæ sunt semper eadem, & in eodẽ & in altero mouetur, ipsa per sese sine voce & sine vllo sono, cum eam partem attingit qua sensus ci eri potest, & orbis illius generis alterius immuta tus rectus omnia animo mentique denunciat, tũ opiniones assensionésque firmæ veræque gignun tur. Cum autem in illis rebus vertitur, quæ manẽ tes sẽper eædẽ nõ sensu, sed intellıgẽtia cõtinẽtur,

* * *

* Ratione igitur, & mente diuina ad originem temporis curriculũ inuentum est solis & lunæ. *

* vt terram lunæ cursus proxime ambiret,

eiquesupra terra proxima Solis circũuectio esset. Lucifer deinde & sancta Mercurij stella cursum habent Solis celeritati parem, sed vim quã dã contrariã itaq; concursatione, quã inter se habent Lucifer, Mercurius, Sol, alij alios vincunt, vicissimque vincuntur. Reliquorum syderum quæ causa collocandi fuerit. quæ'que eorum sit collocatio, in sermonem alium differẽdum est, ne in eo quod attingendum fuit, quàm in eo cuius causa attigimus, lõgior ponatur oratio. Quãdo igitur vnumquodque eorum siderum cursum decorũ est adeptum, ex quibus erat motus temporis consignandus, colligatísque corporibus vinculis animalib' cum animalia orta sunt, eaque imperio parêre didicerunt: tunc ex alterius naturæ motione trãsuersa in eiusdẽ naturæ motum incurrentia, in eaque hærẽtia atque impedita: cum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem, tardiusque maiorem, celeriusque minorẽ, motu vnius eiusdẽque naturæ: quæ velocissime mouebantur, ea celeritate vinci à tardioribus, & cum superabant, superari videbantur. Omneis enim orbeis eorum quasi helicis infleixone vertebat, quia bifariã contrarie simul procedẽtia, efficiebãt vt quod esset tardissimum, id proximũ fieret celerrimo. Atq; vt esset mẽsura quædam euidens quæ in istis octo cursibus celeritates tarditatesque declararet, Deus ipse solẽ quasi lumẽ accẽdit, ad secundũ supra terram ambitum,

vt quàm maxime cælum omnibus colluceret, animantesque quibus iis erat doceri, ab eiusdē motu & ab eo quod simile esset numerorum naturā vimque cognoscerent. Nox igitur & dies ad hūc modum, & ob has generata causas, cum vnum circuitum orbis efficit sapientissimum atque optimum. mensis autē, quando luna lustrato suo cursu solem cōsecuta est. annus, vbi sol suum totum confecit & peragrauit orbem. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero commetiūtur. Itaque nesciūt hos siderum errores id ipsum esse quod rite dicitur tēp⁹, multitudine infinita, varietate admirabili prędítos. Attamē illud perspici & intelligi potest, absoluto perfectóque numero temporis, absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cū se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt, cúmque eos permensus est idem, & semper sui similis orbis. Has igitur ob causas nata astra sunt, quæ per cælum penetrantia solstitiali se & brumali reuocatione cōuerterēt, vt hoc omne animal quod videm⁹, esset illi animali quod sentimus, ad æternitatis imitationem simillimū. Et cætera quidem vsque ad temporis ortū impressa ab illis quæ imitabatur effinxerat. Sed quia nōdum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. Quot igitur, & quales animali

um

um formas mens in ſpeciem rerum intuens poterat cernere, totidem, & tales in hoc mundo ſecũ cogitauit effingere. Erant autem animantium genera quatuor, quorum vnum diuinum atque cæleſte, alterũ pennigerũ & aereũ, tertiũ aquatile, terreſtre quartum. Diuinę animationis maxime ſpeciem faciebat ex igne, vt & ſplendidiſsimus eſſet, & aſpectu pulcherrim⁹. cũq; eum ſimilẽ vniuerſi naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundauit, comitéque eum ſapientia quã optimę mentis effecit, circúmque cælum æqualiter diſtribuit, vt hunc varietate diſtinctum, bene Græci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. Dedit autem diuinis duo genera motus: vnum quod ſemper eſſet in eodem æquè, & idem in omnibus, atque vno modo celeraret: alterum quod in anticam partem à conuerſione eiuſdem & ſimilis pelleretur. Quinque autem reliquis motibus orbem eũ eſſe voluit immobilẽ, & ſtantẽ, ex quo genere ea ſunt ſidera, quæ infixa cælo nõ mouentur loco, quæ ſunt animantia, eáque diuina: ob eámq; cauſam ſuis ſedibus inhærent, & perpetuo manent. Quæ autem vaga & mutabili ratione labũtur, ita generata ſunt vt ſupra diximus. Iam vero terrã altricem noſtram, quæ traiecto axe ſuſtinetur, di-

eorum conuersiones antecesiónésque eueniant, cumque inter se pene contingant eos qui prope co pulentur, contraria regione, aut pone quos, aut ante labantur, quibusque temporibus à nostro aspectu oblitescãt, rursusque emersi terrorem incutiãt rationis expertibus, si verbis explicare conemur nullo posito ob oculos simulacro earum rerum, frustra suscipiatur labor. Sed hæc satis sint dicta nobis: qu'æque de Deorũ qui cernũtur, quíque orti sunt, natura præfati sumus, habeant hũc terminum reliquorum autem quos Græci δαίμονας appellant, nostri (opinor) Lareis, si modo hoc rectè conuersum videri potest, & nosse & nunciare ortum eorum maius est quàm vt profiteri scribere nos audeamus. Credendum nimirum est veteribus, & priscis, vt aiunt, viris, qui se progeniẽ Deorum esse dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderũt: nosse autem generatores suos optime poterant. Ac difficile factu est, à Diis ortis fidem non habere, quanquam nec argumẽtis, nec rationibus certis eorũ oratio cõfirmatur: sed quia de suis notis reb⁹ vidẽtur loqui, veteri legi moriq; parẽdũ est. Sic igitur vt ab his est traditũ, horum Deorũ ortus habeatur, atque dicatur, vt Oceanũ Salaciãque Cęli satu Terræque conceptu generatos editosq; memoremus. Ex iis Phorcyn, Saturnũ & Opẽ, deinceps Iouẽ atque Iunonẽ, reliquos fratres inter se agnatosque vsurpare atque appellare solemus, & eorũ (vt vtamur veteri verbo) prosa

piam. Quando igitur omnes & qui mouentur, palamque se ostendunt, & qui eatenus nobis declarantur quoad ipsi volunt, creati sunt, tũ ad eos is Deus qui omnia genuit, fatur hæc, Vos qui Deorum satu orti estis attendite. Quoru mop erum ego parẽs effectórque sũ, hęc sunt indissoluta me inuito: quanquam omne colligatum solui potest. sed haud quaquam boni est ratione vinctũ velle dissoluere. Sed quoniã estis orti, immortales vos quidem esse & indissolubiles non potestis. neutiquam tamen dissoluemini, neque vos vlla mortis fata periment: nec fraus valentior quàm consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis tum cum gignebamini, colligati. Quid sentiam igitur, cognoscite. Tria genera nobis reliqua sunt, eáque mortalia, quibus pretermissis cæli absolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu non tenebit. Teneat autem oportebit, vt quæ à me ipso effecta sint, Deorum vitam possint adæquare. vt igitur mortali conditione generentur, vos suscipite, vt illa gignatis, imitemini-que vim meam, qua in vestro ortu me vsum meministis. In quibus qui tales creantur, vt Deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, diuini

immortale partem attexito e mortalem. Ita oriẽtur animantes, quos & viuos alatis, & cõsumptos sinu recipiatis. Hæc ille dixit. deinde ad temperationem superiorem reuertitur. In qua omnem animum vniuersę naturæ temperans permiscebat, superisque permixtionis reliquias fundens ęquabat, eodem modo ferme, nisi quòd non ita incorrupta, vt ea quæ semper ijsdem, sed ab ijs secundũ sumebat atque etiam tertium. Toto igitur omni constituto, sideribus parem numerum distribuit animorum, & singulos adiunxit ad singula, atq; ita quasi in currũ vniuersitatis imposuit, commõstrauitque leges fatales ac necessarias: & ostendit primum ortum vnum fore omnibus, eumque moderatum atque constantem, nec ab vllo imminutum. Satis autem & quasi sparsis animis fore, vti certis tẽporum interuallis, oriretur animal quod esset ad cultum Deorum aptissimum. Sed cum duplex esset natura generis humani, sic res habebat, vt præstantius genus esset eorum qui essent futuri viri. Cum autem animis corpora cum necessitate inseuisset, cúmque ad corpora necessitate accessio fieret, tum abscessio, necesse erat sensum existere vnum, communemque omnium vehementiore motu excitatum cõiunctumque naturæ, deinde voluptate & molestia mixtũ amorem, pòst irã & metum, & reliquos motus animi comites superiorem, & his etiã contrarios dissidẽtes: quos qui ratione rexerit, iuste vixerit: qui autem his se

dediderit, iniustè. Atque ille qui recte & honestè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad illud astrum quo cum aptus fuerit, reuertetur: qui autem immoderatè & intemperatè vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet. Et si ne tum quidem finem vitiorum faciet, grauius etiam iactabitur, & in suis moribus simillimas figuras pecudum & ferarum transferetur: neque terminum malorum prius aspiciet, quàm illam sequi cœperit conuersionem quam habebat in se eiusdem & vnius simul innatam & insitam, quod tum denique eueniet, cum illa quæ ex igne, anima, aqua atque terra turbulenta & rationis expertia insederint, ratione depulerit, & ad primam atque optimam affectionem animi peruenerint. Quæ cũ ita designasset, sesèque si quid postea fraudis aut vitij euenisset, extra omnem culpam caussamq; posuisset alios in terram, alios in lunã, alios in reliquas mũdi partes, quæ sunt ad spaciorum temporis significationem notæ constitutæ, spargens quasi serebat. Post autem eam sationem, Diis, vt ita dicam, iunioribus permisit, vt corpora mortalia effingerẽt, quantumque esset reliquũ ex humano animo quod deberet accedere, id omne, & quę cõsequẽtia essent perpolirent & absolue

cuncta composuit, constanter in suo manebat statu: qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognouissent, hunc sequebantur. Itaque cum accepissent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem & effectorem sui, particulas ignis & terræ, & aquæ & animæ à mundo, quas rursus redderent, mutuabantur, easque inter se copulabant, haud iisdem vinculis quibus ipsi erant colligati, sed talibus quæ cerni non possent propter paruitatē, crebris quasi cuneolis iniectis, vnum efficiebant ex omnibus corpus: itemque in eo influente atque effluēte animi diuini ambitus illigabant. Itaque illi in flumen immersi, neque tenebant, neque tenebantur, sed vi magna tū ferebant, tum ferebantur. Ita totum animal mouebatur illud quidem, sed immoderate & fortuitu, vt sex motibus veheretur: nam & antè & ponè ad læuam, & ad dextram, & sursum & deorsum, modò huc modò illuc. * *

* *

Sed si in splẽdore consedit, tum vel eadem species, vel interdum immutata redditur, quũ ignis oculorum cum eo igne qui est ob os offusus, se confudit & contulit. Dextra autem videntur, quæ læua sunt: quia contrarijs partibus oculorum, contrarias partes attingunt. Respondẽt autem dextra dextris, læua læuis conuersione luminum, quum ea inter se non cohærescunt. Id fit, quum speculorũ lęuitas, hinc illincque altitudinem assumpsit: & ita dextra detrusit in læuam partem oculorum, lęuáque in dextram. Supina etiã ora cernuntur depulsione luminum, quæ conuertens inferiora reddit quæ sunt superiora. Atqui hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adiuuãt caussas, quibus vtitur ministris deus, quum optimi spęciem quoad fieri potest efficit. Sed æstimant plerique non hæc adiuuantia caussarum, sed has ipsas esse omnium caussas, quæ vim habeant frigoris & caloris, concretionis & liquoris: careant autem om-

illũ autem qui intelligentiæ ſapientiæque ſe amatorem profitetur, neceſſe eſt intelligentis ſapiẽtiſque naturæ primas cauſſas conquirere: deinde ſecundas cauſſas rerum earum quæ neceſſario mouent alias, quum ipſæ ab alijs mouentur. Quocirca nobis ſic cerno eſſe faciendum, vt de vtroque nos quidem dicamus genere cauſarum; ſeparatim autẽ de his quæ cum intelligentia ſunt efficientes pulcherrimarum rerum atque optimarum, & de ijs quæ vacantes prudentia, inconſtantia, perturbata quæque efficiunt. Ac de oculorum quidem cauſsis, vt haberent eam vim quã nũc habẽt, ſatis ferme eſſe dictum puto. Maxima autem eorũ vtilitas donata humano generi Deorũ munere deinceps explicetur. Rerũ enim optimarũ cognitionẽ nobis oculi attulerũt. Nã hæc quę eſt habita de Vniuerſitate oratio à nobis, haud vnquã eſſet inuenta, ſi neque ſidera, neque ſol, neque cœlum ſub oculorum aſpectũ cadere potuiſſent. Nũc vero dies noctesque oculis cognitæ, tum menſiũ annorúmque conuerſiones ad numerũ machinatæ ſunt, & ſpatium temporis dimenſæ, & ad quæſtionem totius naturę impulerunt. quibus ex rebus philoſophiam adepti ſumus: quo bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datũ eſt mortalium generi deorum cõceſſu atque munere, neque dabitur.

Cætera deſiderantur.